

# T H E C H A R T E R

**C**AROLUS DEI Gratia *Angliae Scotiae Franciae et Hiberniae Rer Fidei Defensor, &c.* OMNIBUS ad quos Præsentes Litteræ nostræ perverterint SALUTEM.

II. CUM perdilectus et perquam fidelis Subditus noster **CÆCILIUS CALVERT** Baro de *BALTIMORE* in Regno nostro *Hiberniae* Filius et Hæres **GEORGII CALVERT** Militis nuper Baronis de *BALTIMORE* in eodem Regnô *Hiberniae* Patris inhærens Vestigiis laudabili quôdam et piô *Christianam Religionem* pariter et Imperii nostri Territoria dilatandi Studiô flagrans Licentiam nobis ut copiosam *Anglicanæ Gentis Coloniam Industriâ ac Impensâ suâ ad certam quandam Regionem inferius describendam* in Terrâ quâdam in Partibus *Americæ* hactenus incultâ et Barbaris nullam Divini Numinis Notitiam habentibus in Partibus occupatâ deducere possit totamq; illam Regionem cum certis quibusdam Privilegiis et Jurisdictionibus ad Coloniæ suæ et Regionis prædictæ salubre Regimen et Statum pertinentibus a Regiâ nostrâ Celsitudine sibi et Hæredibus suis dari concedi et confirmari humiliter supplicaverit.

III. SCIATIS igitur quod NŌS pium et nobile præfatorum Baronum de *BALTIMORE* Propositum et Studium Regio Favore prosequentes ex Gratiâ speciali certâ Scientia et mero Motu nostris DEDIMUS CONCESSIMUS et CONFIRMAVIMUS et per hanc præsentem CHARTAM nostram pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris præfato *CÆCILIO* modo Baroni de *BALTIMORE* Hæredibus et Affignatis suis DAMUS CONCEDIMUS et CONFIRMAMUS totam illam Partem Peninsulæ sive *Chesonefi* jacentis in Partibus *Americæ*, inter Oceanum ex Oriente et sinum de *Chesapeake* ab Occidente à Residuo ejusdem per rectam Lineam à Promontorio sive Capite Terræ vocato *Watkin's Point* juxta sinum prædictum prope Fluvium de *Wigbco* scituato ab Occidente usque ad Magnum Oceanum in Plaga Orientali ductam divisam Et inter Metam illam à Meridie usque ad Partem illam Estuarii de *Delaware* ab Aquilone quæ subjacet quadragesimo Gradui Latitudinis Septentrionalis ab Æquinoctiali ubi terminatur *Nova Anglia* totumque illius Terræ Tractum infra Metas subscriptas (*videlicet*) Transeundo à dicto Æstuario vocato *Delaware-Bay* rectâ Lineâ per Gradum prædictum usque ad verum Meridianum primi Fontis Fluminis de *Pattowmack* deinde vergendo versus Meridiem ad ulteriorem dicti Fluminis Ripam et eam sequendo qua Plaga occidentalis ad Meridionalem spectat usque ad Locum quendam appellatum *Cinquack* prope ejusdem Fluminis Ostium scituatum ubi in præfatum Sinum de *Chesapeake* evolvitur ac inde per Lineam brevissimam usque ad prædictum Promontorium sive Locum vocatum *Watkin's Point* Ita quod totus Terræ Tractus per Lineam prædictam inter magnum Oceanum et *Watkins Point* divisus usque ad Promontorium vocatum *Cape-Charles* et singula sua Appenditia NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris integre remaneant excepta Imperpetuum.

IV. NEC Non omnes Insulas et Insululas infra Limites prædictos CONCEDIMUS et CONFIRMAMUS eidem Baroni de *BALTIMORE* Hæredibus et Affignatis suis omnes et singulas Insulas et Insululas ab Orientali prædictæ Regionis Littore Orientem versus in Mari natas vel nascendas infra decim Leucas marinas ab eodem Littore scituatas cum omnibus et singulis